



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De illis qui episcopis suis ne eos ad ampliorem honorem in Ecclesia sua
promoueat contradicunt. clxxviii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

rit imperatorem: hunc reprobare & abiici oportere non solum à communione, verum & ab honore cuius particeps videtur existere: quia venerandi principis auribus molestum tentauit inferre, contra leges Ecclesiæ. Si igitur adire principem necessaria causa deposcit, hoc agatur cum tractatu & consilio metropolitani & cæterorum episcoporum, qui in eadem prouincia commorantur: qui etiam proficiscentem suis prosequantur epistolis.

De illis qui episcopis suis ne eos ad ampliorem honorem in Ecclesia sua promoueant contradicunt. Cap. CLXXVIII.

Item placuit vt quicumque clerici vel diaconi pro necessitatibus Ecclesiarum non obtemperauerint episcopis suis, volentibus eos ad honorem ampliorem in sua Ecclesia promouere, nec illic ministrent in gradu suo, vnde recedere noluerunt.

*Ex cõcil. Africa-
no, ca. 31.*

De presbytero certo crimine deposito, si de ministerio sibi interdicto aliquid agere præsumpserit.

Caput CLXXIX.

Si quis presbyter ab episcopo suo fuerit degradatus, aut officio pro certis criminibus suspensus, & ipse per contemptum & superbiam aliquid de ministerio sibi interdicto agere præsumpserit, & postea ab episcopo suo correptus, in certa præsumptione perdurauerit, hic omnimodis excommunicetur, & ab Ecclesia expellatur. Et quicumque cum eo communicauerit, similiter se sciat esse excommunicatum. Similiter de clericis, laicis, vel feminis excommunicatis obseruandum est. Quod si aliquis ista omnia contempserit, & episcopus emendare potuerit minime, regis iudicio exilio damnetur.

Ex cõcil. Toletano, ca. 6.

De presbytero vel diacono damnato qui imperatoris auribus molestus extiterit.

Caput CLXXX.

Si quis à proprio episcopo presbyter, aut diaconus, aut à synodo fuerit episcopus fortè dånatus, & imperatoris auribus molestus extiterit, oportet ad manus episcoporum

Ex cõcil. Antioch. cap. 12.